

~~G. 1104~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

Q. F. F. Q. S!
De

**DISTINCTIO.
NE SUPPOSITI
A NATURA,**

PRÆSIDE

DN. M. NATHANAEAL *Wald*

Amplissimæ Facultatis Philos. Adjuncto
meritissimo,

*Fautore & Præceptore suo
studiosè colendo,*

Disquiret publicè
AUCTOR

GEORGIUS HUTTERUS,

Cibiniò - Transylvanus,

In Auditorio Majori.

Die 12. Octobr. A. O. R.

M DC LXXIX.

VITEMBERGÆ,

Prælo CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

De
DISTINCTIO

NE SUPPOSITI

A NATURA

PRÆSIDII

DN. M. NATHANIEL

Amplissimi Facultatis Philol. Adjuncto

meritorio,

Summo & Præceptore suo

habere volumus.

Discurit publice

ACTOR

GEORGIUS HILTFERUS

Cipino - Transylvanus

In Auditorio Altorfensi

Die Martij 1704

M. DC. LXXIV.

WITTEBERG

Prælo Christiani Schröterii, Acad. Typ.



VIRIS

*Summè Reverendis, Excellentissimo, Amplissimis
atq; Clarissimis*

DN. M. ISAACO ZABANIO,

Illustris Athenæi Cibiniensis Prof. Publ. antehac longè cele-
berrimo, nunc verò Divinioris Coetûs Orbacensium Antistiti
gravissimo,

DN. JOHANNI RASCH/

Nagyschenkensium Ecclesiasti Primario fidelissimo, Pa-
renti meo ob maxima plurimaq; beneficia eâ, quæ Filium
debet observantiâ, suspiciendo,

DN. GABRIELI RASCH/

Pastori apud Ruffimontanos meritissimo,

DN. M. JOHANNI KREMPESIO,

In Celeberrimo Athenæo Patrio Doctore Primario
famigeratissimo,

TRIGÆ PRÆCEPTORUM GRATIOSISSIMÆ,

*Dnis Mecænatis, Patronis, Evergetis,
ac Promotoribus omni officiorum genere,
quæ à grato discipulo præstari possunt, sanctissimè
colendis, devenerandis.*

Nec non Omnibus & singulis, quorum curæ atq; infor-
mationi à prima ætate creditus, ullos in quocunque Stu-
diorum genere progressus feci,

Vitæ incolumitatem, Virium incrementa, Studium pro
Salute Patriæ indefessum, & omnigenam prosperitatem!

QVam ego inter meas primam præcipuamque
felicitem reputo, quòd eo tempore atqve
loco natus sim, quò Vestra frui **PAR ENS**,
PRÆCEPTORESque & monitis & doctrinâ, mune-
re divino datum est; eam cum diu apud animum
meum reputaverim, tum verò surgente nunc æta-
tis incremento sentio, & multum mihi maximèque
gratulor. Etenim si respicere spatium præteriti tem-
poris & pueritiæ ac juventutis memoriam recordari
licet, non possum non omnem meæ incolumitatis
Studiorumq; rationem Vestris acceptam ferre Con-
siliis, & ita penitus existimare, quòd & ad suscipien-
dam & ad ingrediendam bonarum artium cultu-
ram, **VOS** mihi **PRINCIPES** extiteritis, quorum
hortatu præceptisque conformatum ingenium id
accepit, ut ad altiora adspirandi viam in posterum
haut difficilem futuram arbitretur. Maacte estote
summâ hâc Virtute Vestra, **VIRI AMPLISSIMI**,
quâ tantopere me **VOBIS** obstrinxistis, ut si ullum
præterire tempus sinerem, quòd animum jucun-
dissima gratissimaq; meritorum Vestrorum cogitati-
one non oblectaret, omne meum perdidisse tempus
credi possem. Utinam verò illâ tandem Votorum
meorum summâ fruere, quâ persuasum Vobis esse
intel-

intelligerem, quòd in impertienda conferendâq;
beneficiorum multitudine, non unquam VOBIS
promptioribus, quàm mihi in iisdem agnoscen-
dis & sedulò colendis gratum esse licuerit. Qua-
re cùm alio munere arrham Vobis dare meæ pi-
etatis non valeam, aliquod impræsentiarum offe-
ro Studiorum meorum lemma atqve primum
pignus, illudqve VESTRIS NOMINIBUS nun-
cupo, & ut monumentum animi sit, PARENTIS
atqve PRÆCEPTORUM suorum summas soli-
citudines colere quidem, sed demereri nescientis,
volo atque exopto. Leves paginæ sunt, quas
VOBIS dedico, sed multum illæ & magnoperè
mihi æstimabuntur, si VESTRO placere Conspe-
ctui, eamque apud VOS conciliare in posterum
omnibus conatibus meis gratiam poterunt, quæ
pondus dare Studiis & animum alacriorem red-
dere suo jure debet. Ego me totum VOBIS de-
beo; proinde quicquid in me est vel ingenii, qua-
lecunque etiam fuerit, vel exercitationis atq; Stu-
diorum, id omne hâc quasi syngraphe VESTRO
Favori & Paternæ Benevolentiaë transcribo.
Servet VOS DEUS, atque perenni incolumitate
circumfundat, ut quam in VOBIS meritò repo-
nit.

nit mea Patria, *salutaris Doctrinae invictam Assertio-*
nem feliciter continuetis, & exemplum diu sitis
omnibus nobis, qui ad sacra studia applicavimus
animum, quò VESTRAS imitari Virtutes, & lau-
datissimis insistere Vestigiis etiam atque etiam
conemur. Hæc mea vota sunt, quibus divinum
pro salute VESTRA postulare Numen VOBISq;
propitium reddere quotidie soleo; audiet illa
Deus, facietque ut prompta mihi semper meis-
que laboribus optime cupiens Vestra constet
Voluntas. Quam potitus perpetuo futurus sum

Maximè Rever. Amplissima-
rumq; DIGNIT. VE-
STRARUM

Omni observantiâ ac pietate

Devotissimus Filius atq;
Discipulus,

GEORGIUS HUTTERUS,
Phil. & SS. Theol. Cultor.



Q. D. B. V.

§. 1.



Isquiram de argumento, quod nisi summâ utilitate sua, quam quotidie experiuntur, qui in diviniore Doctrina versati, & explicare Suppositorum rationem, & vindicare necessum habent, sese maximo- perè commendaret, eam videri poterat objicere difficultatem, quæ animum in nescio quos dubiorum anfractus, & periculosa sententiarum divortia facili negotiò pertraheret. Hallucinati profectò in hac disceptatione non pauci fuerunt, & qui in his rebus acutum videre censebantur, ita se dederunt turpiter, ut si horum hominum essentiam in fictione aliqua cerebri, aut ipso nihilo, ultimâ consistere arbitreris, propriò illos judicio æstimare possis. Tantæ nempe absurditatis est, ultimi existendi actus, quem suppositi- tatem vocant, non nisi in conceptu, quin ipsa etiam nega- tione, rationem modumque constituisse. Quem quidem scopulum alii prætergressi feliciter sunt, charybdin tamen evitare, relictâ scylla non valuerunt, dum Essentiæ condi- tionem, quâ terminos illa posteriores excludit, notione pe- culiaris rei, induere satagebant, in ipsam adeò rerum natu- ram, quæ à progressu ad infinitum, (qualis metuendus hic omninò est) abhorre solet, injurii evadentes. Quò magis opera nobis danda sedulò est, quando in præsentiarum *de Nature ac Suppositi Distinctione* agere suscipimus, ut in hoc labore circumspectè versemur, itaque rem omnem exponamus, prout incorruptæ rationis accuratiori indagine fieri posse videbitur.

A 2

§. 2.

§. 2. Est autem quod ante omnia, quid *Natura*, quidve *Suppositi* nomine nobis veniat, expendamus. Notissimæ in philosophorum scholis acceptiones vocabuli *Natura* sunt, ut primum id omne, quod aliquâ descriptione explicari potest, quamvis verum & reale ens non sit, generali *Naturæ* nomine insigniatur, & deinde vel quævis causarum naturalium series, vel ipse *Naturæ* Auctor, & suprema *Causa*, vel effectus etiam ejusdem, totum hoc *Universum*, modò *Naturæ* simpliciter, modò cum addito, *naturæ* naturantis, & *naturæ* naturatæ nomine veniat; pariter quemadmodum & vulgato loquendi more, ubi de indole ac ingenio, inclinatione etiam ac temperamento subjecti dicendum est, *Naturæ* appellationem adhiberi constat. Quos aliosve hujus generis *Naturæ* significatûs diligenter annotavit Dero- don Parte II. *Metaph.* p. 250. cui addatur B. Calov. *Metaph. Div. Parte Generali* p. 126. seq. Propius ad nostram considerationem pertinet, quòd *Natura* etiam *Essentiam* designat, ex *materiæ* & *formæ* compositione resultantem, aut ipsa hæc principia dicit, in contradistinctione ad *essentiam*; quo in significato apud *Philosophiæ* naturalis *Doctores* imprimis vocem hanc adhiberi notum est; à qua acceptione formaliter ab *Naturæ* expressio, (quæ nostra est) in quantum *Essentiam* dicit absolutè spectatam, & vel *Personalitati*, vel *Supposito* in genere contra distinctam, ita ut intelligatur *Natura* singularis & individua, per ultimum existendi actum, qui ipsi supervenit, complenda.

§. 3. Nunc quod ad *Suppositum* attinet, de quo in præsentiarum nobis præcipuè dispiciendum est, illud à *supponendo* dictum, æque ac *supponere* variis acceptionibus involutum est. Habent enim *Mathematici*, quod *Thesibus* vis in definiendis rebus supponant, idemq; modò *suppositi*, modò *præsuppositi* aut *postulati* nomine venire illis concesserit. Habent etiam *Scholastici* *suppositum*, quod iis supponi

poni dicitur, quorum prædicationem recipit, ut sunt prædicationes proprietatum & operationum in subjecto, quod specialiter subjectum enunciationis Logicæ dictum, aliàs suppositum à quo appellari solet. Conf. Thomas Parte 3. Qv. 2. Art. 3. Sed ad hos significatus nihil impræsentiarum respiciendum nobis esse facilè patere poterat, ubi suppositum potiùs relationem ad naturam inferens, ita illi supponi dicitur, ut ultimum substantiæ singulari existendi gradum largiatur, eandemque ad edendas operationes, quæ suppositorum esse ideò dicuntur, aptum reddat. Quod cum respectu naturæ communis intelligeret Armandus de Bello Visu, Explicat. Term. Tract. 2. c. 205, non poterat non substantiam primam cum supposito confundere; quæ verò duo ut maximè convenient, quando substantia prima, pro substantia singulari ultimato completa accipitur, multum, tamen adhuc differre censenda sunt, cum, quod fieri plerumque solet, substantia prima, tam substantias completas & totales, quàm incompletas & partiales denominat.

§. 4. Hæc ut rectius omnia intelligantur, & nostræ etiam considerationis ratio clariùs pateat, antequam ulterius provehamur, omninò hic notanda differentia est, quæ inter *suppositum concretivè & abstractivè tale* in Philosophorum scholis intercedere docetur. Illud verò priori modò acceptum, connotat subjectum ipsum, naturam atque substantiam, primam & singularem, quæ per modum habentis & habiti in rebus in primis creatis concepta, perfectissimum subsistendi actum recipit, & *ἡ ἀπὸ τοῦ ἑαυτῆς* determinata est; quam si describere accuratiùs volueris; substantiam dices singularem, quæ à nullo alio dependet in existendi actu, sive tanquam à subjecto, sive tanquam à toto, sive tanquam à supposito alio, à quo illa recepta in existendo sustentetur. Quò locò id communiter notari solet, quod facile patere poterat, hæc ipsâ descriptione ex

Suppositorum numero removeri accidentia, quæ nec subsistunt, nec multò minùs perfectissimum illum, ac ultimum subsistendi modum habere possunt; excludi etiam substantias universales, quæ quamvis verè subsistant, quatenùs subsistentia generaliter sumpta opponitur inharrentiæ, & omnibus substantiis communis est, non tamen subsistunt subsistentiâ specialiter dictâ seu ultimata, sed mediantibus tantùm substantiis singularibus, qui verò subsistendi modus imperfectior est, quàm ut supposito conveniat; non etiam admitti partes, cùm essentielles, tùm integrantes, quæ non ut *ad se ipso* subsistunt, sed subsistentiâ totius saltem gaudent, ac naturâ suâ esse incompletum habent, eò quòd partes sunt; quin tandem alienas à suppositi ratione esse substantias, quæ quidem de se completæ in essendo sunt, sed cùm in alienam suppositalitem recipiuntur, propriam non habent, aut amittunt. Quà ratione relinquitur, solam substantiam singularem, completam, h. e. quæ & omnia ad essentiæ suæ constitutionem requisita possidet, & esse in se terminatum, nec ad aliud, quoad intrinsecam perfectionem ordinatum habet suppositi nomen tueri posse; soletq; illa *materiale* dici ipsius suppositalitem, non aliter, atque ipsa suppositalitas *formale* suppositi audit, idemque in abstracto exprimit. Quo loco illud non negligendum est, quòd ipsa etiam suppositalitas, quam diximus, suppositi nomine frequenter veniat, quamvis naturæ, quæ ultimato subsistendi actu gaudet, contradistinguatur; quam acceptio- nem in præsentiarum nostram esse, ubi *de Naturæ & Suppositi distinctione* solliciti sumus, nobis etiam non nonentibus, facilè elucescit.

§. 5. Id verò palmarium est, quòd suppositi & suppositalitem rationem h. l. generaliter capiamus, ac prorsus absolutè; ut intelligi possit, quòd Persona, ex suppositorum censu minimè hic excludenda sit; quòd tum fieri solere notissi.

notissimum est, quando suppositum specialiter, & exclusivè acceptum, substantiam denotat ultimato in esse suo terminatam, non tamen intelligentem; qualis distinctio, non, diversas quidem inter suppositum & Personam formalitates, diversum tamen materiale omninò insinuat.

§. 6. Solet aliàs Suppositum abstractivè tale, seu suppositivitas, modò subsistentiæ, modò *inchoatè* venire nomine, quamvis utrumque suâ etiam ambiguitate non careat; tò subsistere enim modò illud denotare aptum est, quod verè est & non apparenter, in quem sensum accipi Philolopho videtur Lib. de Mundo cap. 4. sicque omnibus quidem indistinctè substantiis applicatur, sed & omnibus omninò accidentibus potest; modò id enunciat, quod existit seu actu est, ut illi opponatur, quod esse tantùm in potentia dicitur, quâ ratione item non solâ substantiæ, sed & accidentiæ, subsistentia dici possunt; modò hunc sensum recipit, ut quod *subsistere* dicitur, *substare* aliis existimetur, qui significatus ad excludenda accidentia quidem aptus est, non tamen omnibus substantiis conveniens; quod voluisse August. videtur, *vix esse dignum, dicere: Deum esse subsistentem*, h. e. accidentibus substantem, autumans, lib. 4. de Trinitate c. 5. Sed omnes tamen has acceptionum varietates celebritate suâ superat Subsistentiæ per independentiam à subjecto inhætionis explicatio. Quam subsistentiam, non ultimam & generaliter ita dictam vocare solent, quæ non tantùm omnibus substantiis in communi familiaris est, sive illæ completæ, cum in essendo, tum in subsistendo, sive incompletæ fuerint; sed & ipsa est substantiarum essentia, saltem inadæquatè concepta, quâ nempe hæc non inexistit alteri, tanquam suo subjecto, à quo in existendo sustentetur; ut proinde simpliciter illa inseparabilis à substantia etiam in creaturis sit, nec realiter à substantia, etiam creata, distinguatur. Quod longè secus habet, quan-

quando de subsistentia, quæ supposititalitatem exprimit, sermo est; illa enim non nisi substantiam in subsistendo completam denominat, & modus tantum aliquis substantiæ positivus est, & complementum tandem naturæ substantialis ultimum, seu actus aut perfectio quædam substantialis; à qua natura id habet, ut non terminetur ulterius, aut in subsistendo amplius perficiatur, actuetur & compleatur. Quæ ratione hanc eandem, & realiter separabilem à substantiâ creata, & ab eadem realiter etiam differentem esse, infra constabit. Quod ipsum si de *ὑποστάσις* etiam voce observetur, omnis facilè expirare ambiguitas potest, quàm olim non animadvertentes, Viri celeberrimi, Hieronymus in Epist. ad Damasum 57. itemq; Augustinus, Lib. 5. de Trinitate cap. 8. (quamvis ille corrigere sententiam suam Lib. 7. de Trinitate cap. 6. videatur.) ut alios taceamus; essentiam cum Hypostasi confuderunt; de quo conf. uberius Vasquez in Primam Thomæ Quæst. 28. Disp. 124. cap. 1. seq. item Suarez in Disp. Metaph. Disp. XXXIV. Sect. I. n. 14.

§. 7. Quæ hætenus à nobis allata sunt, eò faciebant, ut & intelligi posset, de qua re impræsentiarum nobis disputandum sit, & facilius nunc cognosceretur, in quo ipsa *τῆς* suppositi abstractivè accepti formalis ratio consistat. Nimirum ea nobis mens est, ut existimemus, Supposititalitatem ad hoc dari Naturæ, ut illi suppeditet ultimum complementum in ratione existendi, vel ut ejus existentiam in ratione subsistentiæ compleat, sicque singularem substantiam determinet, faciatque, ut per eam independenter à substantia alterius existat, seu ut ab alio non sustentetur, nec dependeat, sive ut à subjecto, sive ut à sustentante. Quòd ipsum cum de supposititalitate transcendentali valeat, declarari potest. in primis in rebus creatis quàm optimè, ex ipsis terminis existendi & subsistendi; Nam existere ex se solum dicit habere entitatem extra causas, seu in rerum natura; unde

unde de se indifferens est ad modum existendi innitendo alteri ut sustentanti, & ad modum existendi per se & sine dependentia sustentante; unde illi opponitur inexistere, vel inesse, dicitque determinatum modum existendi in alio. Igitur quamdiu existentia non est determinata per modum existendi in se, & per se, adhuc est incompleta, & in statu quasi potenciali, & ideo ut sic non potest habere rationem substantiæ; rursus si afficiatur modo existendi in aliquo, à quo sustentetur & pendeat, etiam habet statum incompletum, quia est in alio, à quo pendet, & ad compositionem alicujus completi entis ordinatur. Tunc igitur existentia naturæ substantialis erit completè terminata, quando fuerit affecta modo existendi per se: hic ergo modus complet rationem substantiæ creatæ; ille ergo habet propriam rationem personalitatis, seu suppositalitat. Quomodo patet, suppositalitatem hic nihil aliud esse, quam terminum aut modum Naturæ secundum esse existentiae, præsuppositò completò esse essentiae, in actu constitutæ.

§. 8. Hoc alii exprimere ita consueverunt, ut in ratione incommunicabiliter subsistendi naturam suppositalitat. consistere asserant, non reprehendendi idcirco, si in primis non de constitutivo formali, sed consecutivo voluerint intelligi. Sed est tamen incommunicabilitas illa, quam appellant, rectè decenterque explicanda. Etenim id falsum foret, si dicere vellemus, quod suppositum neget tantum communicabilitatem ad plura essentialiter inferiora, quæ se habent, vel per modum speciei, vel individuum; Nam multæ sunt substantiæ singulares, sicque etiam dicto modo incommunicabiles, quæ tamen supposita non sunt; unde incommunicabilitas hæc ad materiale potius suppositi spectare, & in ipsa voce *singularis* exprimi, quam suppositalitat. omnem absolvere rationem, in pro patulo est. Qvò eadem modo incommunicabilitas, quæ dicitur

B

sup.

suppositi, non etiam negare potest communicabilitatem
ad aliam naturam, quasi nempe suppositum non possit u-
niri ac communicari alteri naturæ, quàm derminet, inque
subsistentiæ suæ communionem admittat. Hæc enim vel
communicabilitas, vel ipsa actualis communicatio, ratio-
nem suppositi non evertit, siquidem non facit, ut suppo-
situm ab alio terminetur, ut ultimum actum subsistendi ac-
cipiat aliunde, sed ut suppositum saltem terminet aliam
naturam, ipsum in se minimè terminatum. Quod quandò
fit, communicatio ista ad aliam naturam importat quidem
communem subsistentiæ ejusdem participationem ab u-
traque natura, sic ut utraque eadem Hypostasi subsistat, &
una quidem habeat eam per se, altera verò per aliud & pro-
pter unionem; non tamen efficit, ut suppositum illud sub-
sistentiam suam amittat, sed eam tantùm cum substantia
alia habeat communem. Id quod dudum animadvertit
Thomas, quando objicienti sibi: *Illud ad quod aliquid as-
sumitur, communicatur quodammodo ei, quod in ipsum as-
sumitur, sed de ratione Personæ est, quod sit incommunicabi-
lis, Ergò personæ non convenit assumere, quod est ad se sume-
re, in hunc modum respondet: Persona dicitur incommu-
nicabilis, in quantum non potest de pluribus suppositis predi-
cari; nihil tamen prohibet, plura de personæ predicare.*
*Unde non est contra rationem personæ, sic communicari, ut
subsistat in pluribus naturis.* Parte III. Summularum art. 1.
Superest ergò ut dicamus, quod (quicquid etiam in con-
trarium sentiat Oviedo Metaph. Contr. 3. P. 3.) Incommu-
nicabilitas hæc, neget communicabilitatem ad aliud suppo-
situm sive terminum ulteriorem existendi; ita ut suppo-
situm quâ tale non possit uniri & communicari alteri, à quo
sustentetur, ac dependeat in subsistendo. Si enim aliquod
suppositum communicaret sese alii per se subsistenti, foret
ista communicatio ad terminum, sicque suppositum acci-
peret

peret ulteriorem terminum; At contradictorium est, esse
ultimò terminatum, s. ultimum habere subsistendi comple-
mentum, & tamen simul in subsistendo ulterius terminari.

§. 9. Quemadmodum autem satis ita explicitè constare
potest, quod in ultimata subsistentia, eademque negante
communicabilitatem ad aliud suppositum, vel, quod idem
est, dependentiam ab alio in ratione subsistendi, consistat
formalis suppositi ratio; Ita tamen infinitis propemodum
difficultatibus & sententiarum divortiis implicatum est,
quod de hoc ultimato existendi actu quæri solet, quid ille
sit propriè loquendo, quidq; Naturæ superaddat, quod verò
nisi cognitum nobis perspectumq; fuerit, de distinctione
Suppositalitatæ & Naturæ, solidi aliquid statuere non licebit.
Quorsum id nunc agendum nobis est, ut manifestè appare-
at, utrum vel id, quod nudæ tantùm rationis aut conceptu-
um terminus existit, vel quod reale quid est, à Supposito Na-
turæ adjiciatur, quo ritè exposito, Distinctio Suppositi à Na-
tura facilè se prodet.

§. 10. Sunt autem, qui hoc saxum volvunt Philosophi
in duplici sententiarum differentia; alii vix ac ne vix qui-
dem rationis distinctionem vi suarum descriptionum, hic
tueri queunt; alii nimium largiendo non possunt non di-
stinctionem maximè strictèq; realem admittere. De prio-
ribus primo loco videbimus. In quorum verò censum eos
præ reliquis refero, qui Suppositum Naturæ superaddere
Existentiã autumant, vel ut rectius dicamus, ex una parte
dicunt, Suppositum inferre habitudinem ad existentiã,
quam intrinsecè non includit; ab alterà parte Suppositum
intrinsecè constitui Existentiã arbitrantur. Pro priore sen-
tentia communiter Capreolus allegatur in 3. distinct. 6. q. 6.
artic. 3. ad 1. contr. 2. conclus. ex cuius opinione Existentiã se
habet ad suppositum per modum connotati, & importati,
quasi dicatur, *Suppositum esse idem quod Individuum sub-*

stantia, habens per se esse. Posteriores autem propugnant
quidam ex Thomistis, uti asserit Oviedo Metaph. Contr. 6.
Punct 3. & Thomam, quem illi pro se referunt, excusat, Parte
3. l. 17. art. 2. In his sententiis decidendis examinandisque
duo monenda in antecessum sunt. Primum est; quamvis
Existencia alias ejusmodi existendi rationem, qua quid per
se existit s. subsistit, exprimere valeat, (sensu PP. imprimis
familiari, qui in Divinis tres dari Existencias, unam autem
in Christo, familiariter asserunt) inpraesentiarum tamen,
ubi de formalitate subsistentiae quaeritur, eadem in hoc si-
gnificatu nec attenditur, nec attendi, nisi *κατὰ λόγον* volue-
rimus, ulla ratione potest; quin potius pro actualitate essen-
tiae, seu pro ipso actu, quo essentia extra causas posita est, su-
mi debet: alterum est, quod de existencia naturae sermo
sit, cum alias etiam in ipsamet subsistentia, propria confi-
derari possit existencia, quae ab ipsa subsistentia in re non di-
stinguitur. Etenim de hac Existencia verum omnino erit,
Suppositum addere supra Naturam aliquam existenciam, non
tamen illam, quae existit ipsa natura, sed quae existit supposi-
tum, ut suppositum est, vel potius quae completur integra
essentia totius compositi; quomodo omnis forma vel mo-
dus realis addit aliquam existenciam illi rei, cujus est forma
vel modus. Quibus jam praesuppositis facilius est, in utram-
que appositam sententiam animadvertere; Nam quod Ca-
preolum attinet, apertam ille repugnantiam dicit, bene ob-
servante Suarezio Disp. 34. sect. 4. n. 4. Quod si enim verum
est, quod ipse largitur, Suppositum & Naturam distingvi a
parte rei, quomodo verum erit, suppositum nihil addere
naturae, quod sit intrinsecum ipsi supposito, nam id ipsum
quod suppositum a natura distinguitur, vel erit intrinsecum
supposito, vel minus. Si prius, & verò illud non ingredi-
tur constitutionem naturae, quaeritur quare illud sit? Habi-
tudo certè ad existenciam esse non potest, neque enim abso-
lutè

lutè verum est, quod dicitur: Habitudo ad esse conveni-
re supposito & non naturæ. Omnis enim essentia realis
habet, quod sit per suam existentiam, sicque habitudo ad esse
etiam ad esse reale dicit. Unde suppositum & natura, solum
hoc modo, quod ad hanc habitudo attinet, differre di-
cenda sunt, quod natura est quasi principium Quo existen-
tiæ, suppositum autem est id, quod propriè existit. Quod si
verò posterius, jam tum aperte sequitur non distingui sup-
positum & naturam in re ipsa, quod maxime Capreolo ad-
versatur, qui suppositum pro extrinseco aliquo connotato
naturæ accipit. Ut illud nunc taceamus, quod id ipsum,
quò substantia constitui debet in ultimo subsistendi actu, in-
trinsecum supposito omninò esse debeat, & quod præcipu-
um est, ipsum suppositi materiale, existentiam non possit
non prærequirere. Quò quidem probabilior nunc & feren-
da magis eorum opinio videtur, qui intrinsecum aliquod
Esse, quod suppositum naturæ superaddat, largiuntur; in eo
tamen absq; censura dimitti non debent, quod suppositum
esse putant, vi cujus existit natura, & formaliter existens con-
stituitur. Etenim hic rectè habet, quod Oviedo existimat
loco cit. contra hanc sententiam agendum esse, omnibus
illis rationibus, quibus probatur, essentiam cujusvis rei non
distingui à proprià ejusdem rei existentia. Quo supposito,
subsistentia omninò distinguitur ab existentia, quando qui-
dem distingui ab essentia, etiam ab Adversariis conceditur.
Præterea existentia Naturæ non est separabilis à natura
manente illa in rerum natura, seu in ratione entitatis a-
ctualis, uti alias demonstratur, id verò de subsistentia dici
non potest, cum contrarium vel una natura, humana ta-
men verè talis, in Servatore Nostro ostendat. Tandem
propriæ rationes existentia & subsistentia, has non idem
esse, apertissimè demonstrant. Namque (præter ea, quæ
paulo ante hac in re tacta sunt) ratio existentia est, consti-
tuere

tuere id, cuius est existentia, in ratione entis actualis, subsistentia verò constituit ut per se independens ab omni sustentante; unde prior ratione tantum, posterior realiter ab entitate nonnunquam differre (maximè quia subsistentia præsupponit entitatem actualem naturæ, quam modificat, sicque ipsam existentiam) censenda est. Conf. Suarez, loc. cit.

§. 11. Quibus omnibus argumentis accuratiùs pensulatis (si illud unum adjiciatur, quod non dependere à subjecto inhesionis, conveniat etiam substantiis, ultimata subsistendi ratione destitutis) uno eodemque ictu concidere videtur, quod aliis statutum est, suppositum independentiam dicere à subjecto inhesionis, contra quos disputat Arriaga Sect. 8. Subsect. 1. quemadmodum & illi una rejiciuntur, qui suppositum singularitatem, & accidentia individuantia substantiæ superaddere dicuntur, cuius sententiæ insimulari solet Aristoteles atque Thomas, defensus uterque à Svarzio l. c. p. 234. Quibus si id opponatur, satis est; quod partim subsistentiam non-ultimatam cum ultimata confundant, partim materiale suppositi cum ejusdem formali commisceant, partim id quod nobilius est, perfici, imò formaliter constitui posse putentur per illud quod multò ignobilius est, partim illi, quod ne subsistentiam quidem non-ultimatam largiri potest, tantum tribuant, ut ultimatum naturæ dare existimandum sit; quæ omnia profecto rationem Philosophicam effugiunt.

§. 12. Nunc si alios consulamus de eo, quod Suppositum Naturæ superaddat, erunt, qui adhuc rem ita explicent, ut duo hæc vix dum ratione distingui, salvis suis thesibus asserere possint. Pertinet huc Scotus in 3. dist. 1. q. 1. & dist. 6. q. 1. & in 1. dist. 13. & Quodl. 19. art. 3. Cujus assertio est, suppositum addere supra naturam duas negationes dependentiæ ab alio, alteram aptitudinalem, actualem alteram, quarum utraque deficiente, suppositum etiam deficiat. Quapropter
anima

anima separata, licet actu non sit in toto, neque ab eo pendeat, quia tamen natura sua apta est in illo esse & ab eo pendere, Humanitas autem Christi, licet ex natura sua non sit apta ab alio pendere nisi per potentiam obedientialem, quia tamen actu pendet à Verbo, cui unitur hypostaticè, non dicantur esse suppositum. Quam opinionem sic expostam sequuntur Scotistæ in 3. dist. 1. quos allegat, usque assensum præbet Ebelius, Collegii Metaph. Part. speciali Disp. 2. sect. 2. art. 3. p. 32. itemque Smisingius Tom. II. Disp. Theol. Disp. II. Sed in mitiorem sensum explicare ipsum Scotum sustinuerunt Bassolis, Herræra, Lychetus præ reliquis in 3. dist. 1. qu. 1. ut & de Rhada in 3. controvers. 1. art. 1. (qui omnes Scotum fuisse problematicum dicunt, & docuisse probabiliter illud, quod addat suppositum supra naturam, Esse vel positivum vel negativum; fatenturque Scotum propendisse magis in illam partem, quâ dicitur esse aliquid positivum; licet Meurissius L. 3. qu. 4. in contrarium indubitanter asserat, Scotum magis probare, imò dicere, suppositum esse quid negativum) quamvis Herræra Disp. 9. qu. 1. planè ab ea opinione recedat & nullam personam per negationem posse constitui fateatur, quoniam & Disp. 8. qu. 14. Existentiam realiter distingvi dicat à substantia tanquam à modo reali positivo; cum quo consentire & apertius adhuc sententiam, quam Scoti esse diximus, impugnare videtur Lychetus l. c. Quibus vicissim in contrarium Aureolus apud Capreolum in 3. dist. 5. qu. 3. multis argumentis ostendit, non posse creatum suppositum addere supra naturam aliquid positivi; in quâ sententiâ major etiam pars Scotistarum consentit, quorum turbæ pollicem premit, præeunte juxta Svarezius Occamo, Gabriel in 3. dist. 1. qu. 1. art. 1. Sed ille ad rationem suppositi tres negationes requirit, nempe dependentiæ actualis & aptitudinalis, & constituendi essentialiter aliquid. Conf Mendoza Disp. Metaph. II. Sect. 3. Svarezius Disp. 34. Sect. 2. n. 8. Affinis huic opinioni est, sententia, quæ in rebus creatis Naturam & Suppositum distingvi in solo modo significandi nudoque nomine

mine, ubi Natura significetur in abstracto, suppositum autem in concreto, asserit; cui statuto subscribit Durandus in 1. dist. 34. qv. 1. n. 15. Henricus Quodl. 4. qv. 4. quibus Cajetanum jungit Mendoza l. c. Ut autem nunc de re quid sentiendum sit, aperiamus. Durandum quidem & ejus sequaces, si ex aliorum sententia convincendi à nobis essent, in eo impegisse diceremus, quod existimarint, concreti atque abstracti distinctionem rationis esse, & ab intellectu fieri qui nullum tamen hic, seclusa diversitate vocum, in re ipsa distinguendi fundamentum reperiat, quin & si conceptibus differunt Natura & Suppositum, opus esse, ut hæc duo distinguantur vel tanquam principium diversarum operationum, vel tanquam id quod connotat diversas operationes extrinsecè modo diverso, quod utrumque autem de Natura & Supposito dici haud possit; sed hæc omnia nec solido fundamento inniti, nec incommodare penitus adversæ sententiæ opinamur; Vellem verò id potius attendissent illi, cum quibus hic disputandum est, quod, quando duo differunt tantum penes diversum modum significandi, tum prædicari possint de se invicem, prædicatione identicâ, licet non formali; at falsum est, quod Natura & Suppositum possint prædicari identicè: Quæ si ipsis non sufficiunt, considerent illud, quod suppositum non ita rectè semper cum natura unitum sit, ut divelli ab ea ac separari nequeat; quod si maximè ex naturali ratione (quod fateri ipsemet Sverazius necessarium habuit) perspicuum non est, ex alio tamen principio huc mutuari potest. Etenim humanitas in λόγῳ est singularis Natura creata, & non tamen suppositum creatum est, quorsum aliquid illi deesse oportet, quod suppositum addit ultra naturam singularem; non profecto nudus aliquis conceptus, qui in ipsa re nihil mutat; sed tale quid, quod, cum alias naturam afficiat, aliquando tamen non afficere, quin ab ea separari potest & actu separatur. Quam rem ut clarius intelligas, ecce, si Natura & Suppositum tantum differunt ex modo significandi & per rationem, non verò in re, implicabit perfectò, unionem hypostaticam terminatam fuisse ad naturam

turam humanam & non ad suppositum; ex duobus enim realiter identificatis & tantum per rationem distinctis, non potest unum uniri & alterum non uniri, quia unio est præcisiva. Age vero dicas, suppositum etiam unitum cum altero fuisse, & binas statim personalitates, sicque non unam, sed duas Personas inferes, sententiâ nec ipsis adversariis concessâ. Nec est quod quis existimare velit, tale quid hic metuendum non esse, cum omnis completa substantia carentiam unionis hypostaticæ ad aliam personam inferre, necessum habeat, quæ verò cum hoc loco non ad sit Naturæ creatæ; frustra quis Suppositum vel Personam constitui per eandem autumaverit. Enimverò hoc ipsum est, quod in Scoto reprehendimus, quasi Suppositum differat à Natura tantum per carentiam quandam & per aliquid negativum, quò dependentia ab alio, aut unio ad aliud Suppositum removeatur. Nulla hæc opinio ratione nititur; sanè enim pura negatio non potest esse perfectio entitatis positivæ, nec complementum rei dare, quod additionem dicit perfectionis, non ablationem, uti quidem facit negatio. At verò subsistentia perfectio quædam naturæ est, quia substantiam complet & ab imperfecta incompletaque distinguit, quomodo ergò eadem in nuda negatione, quæ, si rectè æstimes, nihil nisi non-ens est, constiterit? Et si quidem ex concessis cum adversariis pugnare volumus, obvertemus illis, quod ipsi asserant, posse suppositum creatum alienam naturam terminare; in quo casu natura vel terminaretur aliquo positivo, vel negativo; si aliquo positivo, jam subsistentia aliena erit quid positivum, quia nulla est subsistentia, quæ aliena non sit respectu omnium naturarum, quæ distinguuntur ab illa, cuius est propria. Si dicas terminari aliquo negativo, manifestè implicat, quia natura non potest uniri negationi subjecti extranei, quoniam ad negationem nulla potest positiva unio terminari, neque negativa excogitari potest, quia unio negativa, unio non est, sed negatio unionis; & etiam si unio negativa unio dici posset, non apparet in præsentibus, quæ unio negativa posset hæc esse; neque natura potest immediatè af-

C

fici

fici negatione subjecti extranei, quin si immediatè illa afficeretur, iam illa negatio non esset aliena, sed propria, illud enim quod immediatè rem afficit, vel quod res per se & immediatè respicit, non potest esse alienum, sed necessariò est proprium, quid enim magis proprium, quàm illud, quod sine alio medio interjecto respicitur. Quod si unum illud adiceremus, Naturam divinam præcisam per intellectum à relationibus nullam habere dependentiam ab alio, sed potiùs illius negationem, tam aptitudinalem, quàm actualem, (quandoquidem nulla ibi imperfectio est, nec magis dependet natura à relatione, quam hæc ab illa) neque tamen eandem sic præcisam suppositum dici debere, (quomodo perspicuum est, suppositum non constitui negatione dependentiæ;) quin, si & illud urgeremus quod Supposita divina, ut ratione distingvantur ab Essentia Dei, non constituentur negatione, sed positivo conceptu naturæ superaddito, qui ratio est, Personas inter se realiter distingvendi, & constituendi unum principium productivum alterius, quod negationi nullo modo convenire potest; evidentissimo argumento, rationem suppositi ut sic non consistere in nuda negatione; tum quidem quod alieni fori est, in medium a nobis afferri facile videretur, convinceremus tamen & hoc modo de absurditate sua secus sentientes: Quibus hinc de cætero ficulneum telum suppetit, si dixerint, suppositum ut sic non esse commune Deo & Creaturis, quia in Deo constituatur positivo conceptu, secus in creaturis: Nam præterquam quod mirum sanè hoc est in Scotica schola, admittente conceptus univoce communes Deo, & Creaturis, quod suppositum nolint saltem per intrinsecam analogiam Deo pariter atque Creatis rebus competere, id certè observandum erat, quod Personam esse, commune Deo sit & Creaturis, propterea quia illis est communis Personæ definitio, at verò conceptui positivo & negationi ullam dari definitionem communem, nemo opinor asseruerit. Imò verò si Divina Natura, quæ maximè independens, & actus purissimus est, positivam habet personalitatem, virtualiter & ratione à se distinctam, (& in sententia Scoti ex
natu-

natura rei) cum qua Personam constituit, & compleri intelligitur; cur non eodem modo ratiocinantur Durandus atque Scotus in naturis creatis, potentialitatem habentibus? aut cur volunt Naturam creatam paucioribus egere, quam Divinam? cum potius hæc propter summam actualitatem, paucioribus indigeat, quum quod creaturæ mille præstant instrumentis, Deus conficiat sine ullo; Conf. Mendoza Disp. II. Metaph. Sect. 3. Idem verò sibi nunc dictum existiment, qui hoc loco communes cum Scotistis inflare tibias videntur, Viri ceteroquin Eruditi, interque eos Derodon, qui Suppositum increatum Divinitati aliquid reale & positivum; creatum verò substantiæ singulari tantum negationem compositionis unius substantiæ & adjunctionis superaddere, expressè assertit Metaph. P. 2. c. 1. art. 4. p. 155. seqq. item 179. seq. audiendi procul dubio, pariter atque Scotistæ, si illud tantum vellent, quod suppositum per negationem quandam, puta, inhærentiæ aut sustentationis ab alio, bene possit concipi, non autem formalem ejus rationem in nuda negatione ponerent, quæ omne positivum excludat; in quâ sententiâ ab aliis ante nos reprehensi sunt, ut actum hîc agere necessum non sit. Neque nunc est quod Gabrielem, quem ante allegavimus, cum tertia etiam negatione sua, constituendi nempe essentialiter aliquid, quæ adhuc requiratur scilicet ad complendam formalem suppositi rationem diu moremur. Nam nihil hæc pro evitanda Scoti absurditate facere potest; hoc ipso enim quod supposititas habet negationem dependentiæ ab alio tanquam a Toto, quæ Scoti assertio est, jam tum quoque negationem habet constituendi essentialiter aliquid, quia dum non unitur alii, illud non constituit.

§. 13. Sed dum ita Scotisticam Opinionem refellimus, ecce de novo obstrepunt Cartesiani, & persuadere nobis conantur, omnem singularem Naturam, eo ipso quò non est conjuncta cum alia, esse suppositum, quod expressè Wittich. Theol. pacif. §. 149. Unde statim conficiant, quod sustentantia non dicat positivum aliquid, sed negativum, illudque non quidem incommunicabilitatem inferat, sed non communi-

cationem. Wittich l. cit. Add. Burm. Synopf. Theol. L. 5. c. 8. §. 13. quæ verò non-communicatio tolli possit per conjunctionem cum alio. Wittich. l. cit. §. 227. In qua sententia fundamentum idem quod Scotistarum est, explicatio autem durior etiam, & si attendas, minus perferenda. Etenim ut illud taceam, quod non aptitudinali incommunicatione in ratione suppositi contenti Cartesiani sint, sed actualem urgent cum periculo sanioris Doctrinæ de Incarnatione Christi; Scotistæ tamen complures eò non progrediuntur absurditatis, ut suum de subsistentia conceptum applicari Mysterio S.S. Trinit. patiantur, quod videre est apud Smisingium de Deo Uno Trino Tom. 2. p. 77. & Meurisse Metaph. L. 3. q. 4. quod verò de facili auctores Cartesiani admittunt. Quos ego ut erroris convincam, non repetam, quæ superius magnam partem tacta sunt, illudque inprimis, quod si subsistentia & personalitas mera negatio est, jam tres personæ Divinitatis in suo esse personali constituentur, & à se invicem distingvantur per solam negationem; quod tum etiam Divinitas nihil positivè superaddat unitati divinæ Essentiæ, consequenter conceptus Trinitati purè negativus sit; quod Subsistentiæ divinæ adeoque & Personæ planè tollantur, neque relinqvatur quicquam præter essentiam; quod tandem personalitas secundæ personæ per conjunctionem cum humana natura in incarnatione factam, sublata sit, quo concesso, uti quidem non abnuat Wittichius §. 226. 228. 231. quæ & blasphema inferenda consecutaria sint & penitus absurda, nemo non intelligit. Quibus si quid addere placet, velim, consideret Wittichius, utrum non hac ratione ex anima separata personam faciat cum & illa substantia intelligens non conjuncta cum alia sit, quomodo in uno homine tres successivè obtinebunt personæ, prima per conjunctionem corporis & animæ, secunda peculiaris animæ post factam à corpore separationem; tertia rursus compositi per redunionem in resurrectione; absurdà sanè quam maximè sententiã, quicquid etiam videatur Cartesianis, quibus novi nihil est, statuere, quod anima separata completè existat, Wittich. L. C. §. 125. quo verò a-

rò admissio, per privationem unionis ex non-persona fieri persona poterit, prout vicissim per restaurationem unionis cum corpore, ex persona fiet non persona; ut alia ejus commatis quæ ex hac opinione fluunt, nunc studio prætermittam. Parum autem ad rem faciunt, quæ ut negationem suam actua-lem communicationis stabiliant, adducunt Cartesiani. Nihil vanius est, quàm quod omni rei, saltem creatæ, ulterior or-dinatio ad aliam rem, adeoque communicabilitas accedere possit. Quod enim est & supponitur ultimato terminatum, nequit esse ulterius terminabile. Nihil falsius, quam quod omnis natura singularis, eo ipso quo non est conjuncta cum alio, suppositum sit, quod nulla solida ratione unquam stabiliri, quin ejus contrarium ex ante dictis facile capi potest. *Quod si nunc desit humana natura aliquis proprius subsi-stendi actus, habet tamen & hæc suum complementum phy-sicum, id est, quicquid requiritur ad integritatem & perfe-ctiorem humanam naturam, licet non habeat complementum suum Metaphysicum, ex modo illo entitativo resultans, per quem est incommunicabilis alteri, quod benè observat Ma-res. de Abusu Philos. Cartes. art. 94. p. 68. Conf. qui ex institu-to rem hanc pertractant, Mares. in Syst. Nov. L. 2. n. 22. Ma-strich. Gangr. Cartes. Sect. post. c. 34. Leydekkerus Face verit. Loco 4. contr. 1. & alii.*

§. 14. Prolixius fortassè cum iis actum est, qui non nisi meram negationem in Suppositalitate nobis obtrudere satagebant, neque tamen præter institutum id fieri potuit, quandoquidem hæc sententia, quæ Patronos complures, ma-gniqve Nominis colit, id tandem inferre apta erat, ut cre-deremus, vix ac ne vix quidem nuda ratione suppositum à Natura & Substantia differre. Quod uti absurdum esse, mox declaratum dabimus, ita non tamen in illorum castra ex adverso digrediendum est, qui ex Suppositalitate pecu-liarem rem facientes, vel Accidentis nomine eam æstimant, vel Entitatem quandam substantialem comminiscuntur. A-prioris sententiæ partibus stat Herveus, Quodlib. 3. q. 6. &

Javellus Metaph. quæst. 17. agentes, Naturam solum habere,
accidentarias proprietates, quibus ipsa contrahitur & deter-
minatur, ut constituatur compositum. Secundam opinio-
nem suam facit Cajetanus, 3. part. qu. 4. art. 2. qui arbitratur,
Suppositum creatum, naturæ singulari addere aliquam enti-
tatem intrinsecam pertinentem ad prædicamentum Substan-
tiæ, & re ipsa à Natura diversam; quæ entitas adveniat Na-
turæ & ipsam contrahat, & determinet ad rationem Suppo-
siti; cui deinde toti Composito sic constituto ex natura &
illa entitate, demum adveniat existentia, quam ipse ponit,
post differentiam individuaalem, postquæ Suppositum. In
qua re, consentientem Cajetanus habet Ferrariensem 4. con-
tra Gentes c. 43. Nec (si id quod de Existentiâ diximus,
excipias) abeunt nimium Fonseca Metaph. p. 550. item Men-
doza l. cit. p. 492. & alii. Enimverò sicut prior sententia eo
nomine fallit, quod accidens non possit esse de ratione,
intrinseca substantiæ, nec naturam constituere in esse sup-
positi, quod verò subsistentia facit tanquam modus quidam
substantialis, & ultimum naturæ substantialis complemen-
tum; cui id accedit, quod hac posita thesi, dicendum foret,
supposita divina esse supposita per aliquod accidens adve-
niens; & Verbum divinum assumpsisse suppositum, quando
assumpsit accidentarias naturæ humanæ proprietates; quæ
omnia ἐπιεργαλῆτα sunt: ita verò posterior sententia, (præter-
quam quod falso supponit, quasi subsistentia afficiat natu-
ram, in priori quodam signo, in quo non supponebatur exi-
stens; quò admissò, jam tum Suppositum non redderet de
se naturam terminatam, nec incommunicabilem, nec inde-
pendentem, & sic Suppositum tandem non esset Supposi-
tum) ideo etiam admitti nulla ratione potest; quoniam si
suppositum est entitas quædam positiva substantialis, tum vel
ad essentiam Naturæ illius, cuius est suppositum, pertinebit,
vel non pertinebit, sicquæ accidentale quid erit in supposito: si
prius assumatur, dicendū est, quod in supposito materialiter
includatur, sicquæ ubi ipsa naturæ essentia est, adsit etiam res
illa positiva, quæ hoc modo separabilis non erit à natura, quod
exem-

exemplo humanæ Naturæ Christi refutatur; vel si id non sufficit, ajemus suppositum spirituale non amplius esse simplex essentialiter, sed ex natura & suppositalitate componi, quemadmodum materiale suppositum non jam ex materia tantum atque forma, sed & his adjuncta suppositalitate conflatum erit, quod utrumque absurditate sua facile se prodit; Quod si verò posterius verum esse censeamus, quidni omne Suppositum erit ens per accidens, reali nempe unione hic intercedente inter diversas substantias ad unum suppositum? Addimus illud, quod eadem substantia, quæ suppositalitas dicitur, & res diversa à substantia, quam Naturam appellamus, fingitur, non posset non indigere aliqua re positiva & substantia, quæ ejus ultimum esse completeretur; quo facto & huic assignanda foret peculiaris substantia, quæ in ultimo esse suo sustentaretur, sicque tandem in infinitum manaret progressus.

§. 15. Quare ita denique statuendum est; quod illa substantia, quæ Naturæ superadditur, quamvis omnino aliquid positivum sit, non tamen rem quandam peculiarem & positivam constituat; sed modus sit, positivus & substantialis, idemque, quod sub initium diximus, ultimum naturæ substantiali complementum seu perfectionem substantialem, quæ Natura in esse substantiali completur ac perficitur exprimens atque designans. Cum autem suppositalem modum esse dico, suppono in rebus præter entitates earum, substantiales inveniri modos quosdam reales, qui sunt aliquid positivum, & afficiunt ipsas entitates per se ipse dando rebus creatis aliquid, quod est extra essentiam totam ut individuum & existentem in rerum naturâ; Docet hæc inductio, quam exactè persequitur Svarezius Disp. 7. sect. 1. 17. 18. Docet etiam imperfectio Creaturarum, quæ illa sunt dependentes vel compositæ vel limitatæ, vel mutabiles, secundum varios statûs præsentia, unionis & terminationis indeque indigent istis modis, quibus hæc omnia in illis compleantur. Hi verò modi non novam entitatem propriam subiecto afferunt, quia alias non esset actualis unio inter subij
ctu

Etum atqve ejusmodi modum, nisi accedente nova entitate, quâ uniretur subjectum atqve modus. Neqve etiam planè non-entia sunt, quomodo Scotus sentit L. 1. sent. d. 3. q. 3. & dist. 8. q. 2. & L. 2. d. 3. q. 6. tum enim nihil erunt, atqve sic quomodo constituere poterunt vel determinare ens, cum non-entis non sit operatio positiva? Relinquitur ergo ut aliquid sint in Subjecto, idemqve afficiant & determinent; Quod ipsum aliàs accidentia etiam & in rigore talia faciunt, sed quæ subjectum tanquam jam præexistens supponunt, & sua additione mutant, secus atqve de suppositalitate dicendum est, (quamvis in eo falsus fuerit Le Grand Instit. Phil. P. 1. art. 7. p. 26.) quæ talis determinatio subjecti est, ut nec esse, nec concipi sine subjecto possit; Quâ ratione jam tum suppositalitas hæc & à modo afficiente, qui est attributum aliquod seu entis in communi seu entis particularis, & à modo contrahente generaliter ita dicto, qui nempe superius ad conceptum determinationem contrahit, nec tamen est differentia specifica in rigore sic dicta, (quod prædicatum de subsistentia generali dici potest) satis apertò distinguitur; eò quod nec instar attributi ex Essentia dimanantis se habeat, nec ita subjectum ingrediatur, ut illud ad certam speciem vel quasi speciem contrahat, quin potius ab eo, quoad speciem salvo manente, separari aliquando possit. Quare autem hic modus *positivus* à nobis dicatur, facilè ex dictis potest intelligi, quandoquidem revera aliquid ponit in re, & substantias afficit, & easdem, substantialiter largiendo perfectissimam subsistendi rationem, determinat; nihil efficiente in contrarium Wittichio, qui quidem vocabula positiva se audire dicit, sed his ullam rem positivam designari nunquam potuit deprehendere, cum tamen quid determinare & complere sit, fugere hominem intelligentem & eruditum non debuisse. Conf. Wittichius loco cit. §. 149. Neque verò hoc asserendo, entia multiplicamus præter necessitatem, quod & Mendozæ & Ebelio & Derodoni & Wittichio ll. cc. videtur, nam neque peculiare ens per subsistentiam constituimus, sed modum tantum entis, neque id nisi summa necessitate
adaecti

adaecti asserimus; quandoquidem & rei Natura ita postulat, & difficultates in hoc argumento perquam impeditæ feliciter explicari non possunt. Proinde concludimus, quod cum Suppositum ultimato naturam completam reddat, eandemque in se indeterminatam substantialiter ita terminet, ut tamen nova entitas non sit, aut accidens etiam realiter ab ente diversum, nec nudo significandi & concipiendi modo, vel ipsa negatione absolvatur, reliqui omnino debeat, id ipsum tanquam modum, eundemque positivum, & substantialem, naturæ superaddi.

§. 16. Quibus ita in Solis mensa positus, jam non est, quod prolixius amplius in explicanda Distinctione Suppositi à Naturâ sumus; Est ante omnia tamen hic diversa Suppositi ut fictalis, & suppositi tum increati tum creati habenda ratio. Prius fatendum est, indifferenter se habere ad distinctionem, realem & mentalem, cum in superiori conceptu, quod inferiori repugnet, inveniri nihil debeat; repugnat autem, Deum supposititalitate gaudere, quæ reali differentia à natura distingvatur; adeoque tum Suppositum Modus est, qui nec realiter differt à natura, nec etiam per nudam mentis operationem, sed ab utraque distinctione præscindit. At ubi nunc de Supposito in contracta ratione, nempe quod tum creati tum increati entis est, disquisitio oritur, non eadem utrique impertiri suppositi & naturæ Distinctio debet. Verum est; quoad formalem rationem suppositi conveniunt persona finita & infinita, sed tamē salva analogia attributionis manere debet, quia longe eminentiori modo de Natura infinita suppositū dicitur, quam de finita. Quorsum liberando in antecessum ab omni imperfectione Modi terminus est, & in abstractissima ratione concipiendus, ne aliquid vel prius vel posterius, vel quod ut habens atque habitum realiter distinctum est, amplius inferat, quando de Deo prædicatur; tum fatendum, differre quidem suppositum à Natura Divina, tanquam modum à subjecto, aut minimè hanc realem distinctionem esse: Etenim præter summam Simplicitem Divinam, (quæ omne aliud excludit, & cujus respectu etiam Personæ unum sunt) & Actualitas & Perfectio Divina hoc ipsum facile monstrant. Repugnat certè Deo omnis potentialitas, sicque & illa, quæ ejus natura credatur unquam fuisse in potentia ad assumptionem in singularitatem alterius, qualis aliàs esse oportet Naturæ à Supposito distinctæ; repugnat præterea eidem Naturæ Divinæ omnis perfectio ab aliquo sibi superaddito, quodcumque illud fuerit; ergo & perfectio, quæ à supposititalitate in

D

natu-

naturam derivatur. Id nihil est quod Heereboordius existimat, in Me-
let. Phil. & in Pnev. p. 117. seqq. duo extrema hinc concipienda esse, ut bi-
nos actus perfectos, nam, præterquam quod hoc non tantum contra
naturam est distinctionis atq; compositionis realis ex supposito & sub-
stantia; duo certè illi actus perfecti in Deo aut erunt infinite perfectus
uterq; aut minus, si hoc; dabitur in Deo aliquid finiti & infiniti, si illud,
idq; ante omnem operationem intellectus, quod autor supponit, dabun-
tur duo realiter infinita, à quo natura rerum abhorret. Sed an credamus,
nullam planè hinc reperiri Naturæ atqve suppositi Distinctionem? Imo
verò utique ratione distinguuntur; idq; non tantum per connotatio-
nem extrinsecam, sed quæ fundamentum in re habet, non illud qui-
dem, quod pluribus æquivalent re ipsa distinctis, quemadmodum at-
tributa divina pleraque ad ipsam Essentiam divinam comparare possumus,
sed partim quod plura, quæ formaliter in Deo sunt, inter se com-
parari possunt, & respectum inferunt, qui verò non convenit essentiæ
absolutæ & omnis comparationis experti; partim, quod hic datur ali-
quid, in communicabilitatem non ponens, qualia sunt quæ de intrinse-
ca ratione essentiæ divinæ, ratione realis identitatis sunt, & verò etiam
vicissim dantur, quæ ponunt incommunicabilitatem, qualia sunt, quæ
de intrinseca ratione divinæ essentiæ sunt, per essentialè inclusionem,
si per modum subsistentiæ sese dicantur ad essentiam habere. Ex qui-
bus cum prædicata contradictoria saltem improprie talia (quæ sunt
de re, tantum virtute seu eminenter multa, nec eodem modo in utraq;
propositione accepta) inter Naturam & Supposititalitatem divinam
orientur, quotusquisque est, qui non rationis, (realem enim jam remo-
vimus) ratiocinatæ, (ad quam modalem, illam nempe, quæ est inter
rem & modum inseparabilem referimus) Distinctionem animadvertat?
Equidem Cartesiani hic iterum cœcutiunt; & non realem tantum sed
& rationis ratiocinatæ ac modalem distinctionem nullum hic invenire
locum existimant; Conf. Wittich. Not. ad Maref. Systh. l. 3. art. 14. it. Theol.
pacif. §. 10. At cum hoc modo omnis tollatur distinctio in Divinitate, &
personalitas cū Essentia planè confundatur, facilis hujus sententiæ diju-
dicatio est. Ostendant verò illi, si hoc non placet, quæ tandem fingi in-
ter rationis & realem distinctionem alia possit, cum hæc prædicata verè
contradictionem includant, inter quæ non dari medium, aliunde notū
est. Quod proprietatibus personalibus distingvi essentiam atqve sup-
posititalitatem in Deitate putant, in eo à Theologis refutantur, monen-
di à

di à nobis tantum de eo, quod hoc modo nec distinctionem omnem, faltem rationis evitare possint, nec sibimetipsis consent, qui alias in Divinis subsistentiis nihil positivi admittunt, sed meras negationes (quò nomine an proprietates personales venire possint, alii judicent) comminiscuntur. Ad extremum si illud metuunt, ne admittendo modalem in Divinitate distinctionem, variationem aliquam in modificato inferant; (Conf. Wittich. Theol. pacif. 7. 8. 9.) cogitent velim, quod propria iterum vineta cedant, qui alias numerum atque ordinem attribunt Divinitati, quorum tamen utrumque Cartesio modus est; de cætero inter varietatem & variationem distinguant, quarum hæc, cum passionem inferat, non item illa, Deo repugnat.

§. 17. Superest, ut breviter etiam de Suppositi Creati à Naturâ distinctione dicamus. De Entibus quidem irrationalibus & sensu etiam destitutis, probabiliter concluditur ex ratione hominis, quod realem admittant inter Naturam suam atque Suppositum distinctionem, quandoquidem major absolute loquendo perfectio est, carere tali compositione, quam eam habere; unde cum concedatur homini perfectiori, nec alia ratio obstet, etiam videtur concedenda aliis entibus perfectioribus. Sed de Angelis difficilior res est; an & in illis subsistentia distinguatur realiter à natura: Equidem quamvis forte etiam id concedi debeat, quod Deus de potentia sua absoluta, absque ulla in re contradictione, condere potuerit substantiam, in qua Natura & Suppositum non distinguerentur, manente nihilominus ejusmodi substantia finita, & multis modis Deo inferiori, unde tamen constat, id actu ipso factum fuisse in natura angelica? illud parum ad rem facit, si dicas cum Svarezio Disp. Met. 34 Sect. 3. n. 8. deuisse Deum facere substantias sibi simillimas, in gradu & modo essendi quoad fieri possent. Nam ut taceam, quod hoc etiam concessio non statim apodicticè colligere exinde ad Angelos liceret, uti quidem putat Svarezius, sanè cum Deus causa maxime libera in producendo sit, pro lubitu etiam potuit gradus essendi tribuere rebus à se creatis, ad quos ipse non ut causa univoca, sed tantum ut æquivoca se habebat, quæ non omnimodè assimilare effectum sibi solet. Nec majoris momenti est quod idem Svarezius existimat, hanc distinctionem, quam in humana natura cernimus, non oriri ex peculiari conditione aut imperfectione ejus, nec, ex compositione naturæ & formæ. Ergo ortam esse ex generali conditione substantiæ creatæ, sicquæ etiam angelis communem esse. Etenim & hoc antecedente

concesso, dari tamen alia ratio poterat, quare ea distinctio penes naturam humanam obtineret, voluntas nempe atq; arbitrium Creatoris, quod an ita circa Angelos eorumq; naturæ rationem comparatum fuerit, uti sentit Suarez. non liquet. Quæ alii hic afferunt, talia sunt, ut inferre quidem possent, suppositum Angelicum esse conceptum positivum, quod autem illud re aut ratione à natura angelica distinctum sit, non evincunt. Unde tandem placet Arriagæ modestia, cujus verba in omnibus nostra facimus: *De Angelis fateor, me nihil certò posse definire, quia neq; ex ratione, neq; ex fide, neq; à simili ex homine quicquam certò deducitur, ideò nihil de ea re hęc possum determinare; propter communem tamen auctoritatem (melius propter eam, quæ reliquis omnibus suppositis creatis communis est, suppositi à Natura distinctionem realem) potest dici, eos etiam esse ex numero earum creaturarum, quæ distinctam subsistentiam habent, quicquid sit de possibilitate alterius Creature, non habentis distinctam essentiam.* Disp. 4. Metaph. Sect. 13. p. 868.

§ 18. Deniq;ve, ut cum Humana suppositalitate finem dicendi faciamus, penes eam extra dubium ponimus, quòd subsistentia realiter à natura distingvatur. Etenim ubi duo conceptus objectivi ita se habent, ut à parte rei & in individuo separari possint, signum est, inter illa dari majorem distinctionem, quàm rationis ratiocinatae, adeoq; actualem aliquam, quæ à parte rei sit. Est autem ea ratio humanæ subsistentiæ, ut non tantum separari possit, sed etiam actu separata aliquando sit in Natura, propriâ hypostasi destitutâ; realem igitur distinctionem à natura admittet. Sed anne verò nunc differt suppositalitas hæc à subjecto tanquam res à re distincta? Minimè. Hic enim id investigandum est, an etiam hoc suppositum, quod separatur à Natura sua, à parte rei existens manere possit post factam separationem, vel, an tum esse designat, manente Natura; Si priori modo accidet, opus erit, ut suppositum hoc sit res per se ipsam distincta realiter à natura, vel modus alterius rei naturaliter distinctæ, ratione cujus etiam modus ipse realiter distingvetur ab alia re. Utrumq;ve nemo asseruerit. Quod si verò posterius obtinet, uti res ipsa docet, necesse est, ut suppositum tanquam modus (cujus est, esse actu unitum seu affixum subjecto, cujus est modus, & extra subjectum non existere) ab ipsa re seu natura humana distingvatur, atq; adeo inter duo hæc extrema modalis, eadem verò realis, sed minoris, quod dicere solent realitatis, detur distinctio, quod ostendisse nunc sufficiat.

S. D. G.

Fertilis ingenii Specimen dūm nobile fistis
Excultæ gaudens promere mentis opes,
Applaudant Charites, Sophie & cum Pallade Musæ
Quodq̄ve parit, tribuant, actio pulchra decus.

Jo. Henricus Berger, D.
h.t. Acad. Rector.

Qui bene distingvit, bene dicitur ille docere,
Omnibus in studiis, hoc Tibi rite placet.

Ergo Suppositum distingvis ab Esse reali,
Quod Multis animi carnificina fuit.

Perge Sophiū studiis conjungere Theologiam,

ILLUSTRI PATRIÆ sic bona cuncta feres.

Nomen & HUTTERI, PATRIÆ per Climata cuncta,

Multiplici poteris continuare modo.

Johannes Deutschmann / D.

Qui bene distingvit, benè discit is, & bene tradit,
Quæ tradenda aliis os calamusque parat.

Tu benè distingvis: Nam subsistentia quid sit?

Quid Natura fiet! nos tua lingua docet.

Spes igitur certa est, tibi posthac præmia nulla

Defore, seu templum, seu Schola docta vocet.

Caspar Eöschel / D.

Sic lustrasse decet magnorum arcana Sophorum,

Qui sat agit studiis consuluisse suis!

Cælestis siquidem nobis penetralia pandunt

Doctrina, atq̄, aditus hac reserare queunt.

Perge igitur solers, pariter lustrare recessus

Ut liceat Sanctos, sedulitate pari.

Michael Waltherus, D.

E

Quæ

Quæ fuerit quondam Dacorum gloria ab armis,
Ætatis priscae nuncia scripta ferunt,
Congenerem patriæ Te nunc, *Huttere*, probasti,
Musarum in castris fortiter arma movens.
Fac quæ cœpisti pergas! Mox signa triumphi,
Victor cum palma laurea ferta geres!

G. Michael Heber, D.

Ingenii quæ sit Virtus quæ munera mentis
Hic de Supposito monstrat abunde labor,
Scilicet exactè causas ut discere rerum
Possis, distinctò Te iuvat ire gradu
Sit felix labor iste Tuus; felicis olim
Exurgant studiis premia digna Tuis.

deproperab. m. lq;

Andr. Sennertus, P. P.
Acad. Sen. h. t. Decanus.

Delectet sua quemquæve alium jucunda voluptas,
Te Sophiæ studiis invigilasse iuvat.
Id quod perfecto doctòque labore probasti,
Quem specimen præsens exhibet atque notat,
Egregios ausus! quoniam sic itur ad astra,
Sic mortem effugiens nescia fama mori.

Christianus Röhrensee / P. P.

Subjectum propriè quæ subsistentia signet,
Est animus Tibimet differuisse palam
Impiger in doctis perliste laboribus ultra
Non subsistentis sedulitatis amans

Sic

*Sic Tua praclaro subsistet fama decore,
Sic Huttere, tuus perpetuabit honos.*
Christianus Donati, P.P.

Hutterum referas sanctis Huttere cathedris
Promittasq; nova sedulitate parem.
Sic optat pietas, sic vota sacerrima spondent,
Quæ vis ingenii suscitât apta tui.
Theodorus Dassovius, P.P.

Quod medicina valet curando in corpore morbo,
Hoc Sophiæ ingenio non simulatus amor,
Namq; laborantes reficit medicamine mentes,
Ingenio vires conciliatq; graves
Hoc specimen præsens probat, & testatur abundè,
Quem genuit junctus cum pietate labor.
Inde tuos ausus laudes, & digna manebunt
Præmia, quæ reddet Patria grata tibi.
Paulus Gottfried Sperling, D.

Ingenium solers doctò splendet ab usu;
Phœbi cultores præmia laeta manent,
Jucundis igitur da pectora tota Camænis,
Et Tibi, si pergas, florida ferta dabunt.
Elegantissimi Ingenii Juveni
L. M. Q. dabit
M. Jo. Georg. Neumann/
Fac. Phil. Adj.

Nomen Alexandri timidos ornare recusat,
Dimidium timidis nominis hujus abest.
HUTTERI nomen summo cum jure tuetur,
Mores **HUTTERI** qui cupit esse suos.
E 2 Omni

Omni doctrinâ & rarâ pietate politus
HUTTERI totum, censeo, nomen habet.
Hac HUTTERE premens vestigia nominis omen
Implebis. Faveat, quod precor, alma Trias.

Politissimo pariter ac eruditissimo Dn. Re-
spondenti L. M. Q.

M. Gerhardus Mejer, Facult.
Phil. Adj.

Turgescit variis referta telis
Jamque urget validâ pharetra mole
HUTTERI; vegetos more lacertos,
Da primordia fausta præliorum.
Suggestus Academici decorem
Tentare ingenuo juvabit ausu;
Subsistentia Militem decebit.
Sic cunctis generosa mens patefcet;
Quid possint humeri, quid haud recusent,
Constabit Patriæ Patriq; dulci.

Pauca hæc, cum plura deberem, Literatissimo DN.
Auctori, primitias Studiorum gnæviter atq; e-
gregiè hæctenus a administratorum, cum applau-
su edenti, non tam moris, quàm amoris gratiâ,
atq; ex merito adjeci

DISPUT. PRÆSES.

Sex Iustra Athenis Leucoreis ferè
Elapsa novi, quum Tuum AVUNCULUM,
HUTTERE, SCNNITZLERUM, MATHESIN
Non sine plausibus hîc docentem
Audire

Audire coepi. Id quod memoro haud semel,
Nec quid PARENTIS colloquio Tui
Prius. Quid ergo verba nollem
Optima dicere disputanti?
Namque ipsa coeptis *Eusebie* Tuis,
Nec calculum non dat *Sophie* suum.
Vixisse sic *Phœbo* probatur:
Gloria sic superat TUORUM.

*Prolixiori adfectu, quam versu
L.M.Q. fundeb.*

M. Johann. Peister / P.L. Cæs., Lyc. Witteb.
Rector, & Illustr. Soc. Teuton. addictus.

*ARdua, qua promptus felici sidere tentas,
Præclare mentis dant documenta Tue.
Perge, nec egregium quod ducis supprime nomen,
Auguror, HUTTERI nomen & omen habes.*

Egregiis conatibus Clarissimi Dn. Resp.
applaudens scr.

M. Joachimus Weickhmann.

*A Urea sedulitas virtuti gignit Honores,
Ac illi Fructus omni conamine dignos
Confert; Id nosti, Fili bene grate Camenis,
Intrepidâ quare conscendis mente Sophorum
Pulpita; cunctipotens Studiis benedicat Iova!*

*His de primo Philosophico Specimine
animitus gratulabatur*

M. Abraham Henricus Deutschmannus.

*I Ngenio, studiisq; vales, mens enthea nodos
Difficiles Sophie solvere ritè potest.*

Insi-

*Insigne hinc specimen gestis monstrare laborum,
Pulpita dum Doctus, scandere docta paras.
Euge! age! respondet Patriis industria votis,
Applaudet studiis, Patria lata Tuis.*

Nobilissimo, eruditæ Dissertationis AUCTORI,
Fautori atque Amico suo honoratissimo,
L. M. Q. apposuit

Joannes Henricus Nothwanger/ Gedan.

Magnos HUTTERI, quis non mirabitur ausus
Dedignantis iners vulgus, noctisque sub nmbra
Sterrentes animas? *cognata en sedibus altis*
PROGENIES! rectè: laudandus masculus ardor:
Nam PATRIÆ prodesse cupit, cupit IS quoque claras
Unica ceu soboles, virtutes, digna PARENTIS
Tam CLARI, *Gnato*, generoso pectore ferre:
Maeste TUA virtute: paras ita semper honores
Hoc studio SOPHIES, quod doctâ mente fatigas:
NOSTRA hæc vota volunt: *sis ut HUTTERUS REDIVI-*
VUS!

Cives Transylvani
Athenas Albiacas inhabitantes.

Bellantem Macedo Magnus compellat acerbè;
Qui quidem Alexander, nec generosus erat.
Seu mores, inquit, muta, seu nobile nomen,
Ut pariter similis nomine, Marte, sies.
Hutterum doctum præclaro nomine, FAUTOR
Chare, refers, docta & Palladis arte simul.
Hoc summum Sophies studium testatur abundè;
Hoc hodieq; Sophum clara Cathedra probat.

Joh. Andreas Jormann/ Ph. & Th. St.
Odisse

O Disse gnatos, quis neget inscius,
Nomen paternum, si modò defides
Sectentur ignavi cohortes,
Laude suâ penitus neglectâ?
Magnis creati Patribus, & bonis,
Ut sunt avitis laudibus inclyti,
Sic sponte virtutes Parentum
Hosce suâ decet amulari
Magni Parentis *TU* quoque Filius,
HUTTER, meorum prime Sodalium,
Quem lege mecum sanctiori
Juxit amorque fidesque vera,
Magni Parentis Te voco Filium,
Præclara cujus nomina prædicat,
Ætas moderna, & prædicabit
Non moritura subinde fama.
Ut dignus ergò sis Patre Filius,
Vindex avitæ laudis, & impiger
Virtutis assertor paternæ:
Sollicitus monumenta magnam
Volvis Sophorum, nec sine gloria
Tentase eadem carpere iter viâ,
Coetusque vulgares, & agmen
Spernis iners; potiusq; curas
Probare cunctis, recta quid indoles,
Doctisque quid mens orta Parentibus
Posset, quid *HUTTERI* paternus
In Genito vigor explicatus,
Talem vigorem mentibus insitum,
Jam mirò adauxit sedulitas modò
Doctrina tandem roboravit,
Edita quod documenta firmant.

Sic Tu

Sic Tu paternis laudibus inclyta
Proles, avitaeque amula gloriae,
Anniteris magnum Parentem
Moribus & studiis referre.
Rectè! Supremus compleat Arbiter,
Quæ vota poscunt, Hercules quoque
Labor meretur, ut Tui omnes
Inde queant sibi gratulari.

*Prestantissimo, Doctissimoq; Dn. Autori,
Amico probatissimo, Contubernaliq; suo
perquam gratisimo, in signum intemera-
tae fidei scribebat*

Johannes Zieglerus, S.S. Theol.
& Phil. Stud.



Ung. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

V 3 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



2. 5!

6

UNCTIO.
POSITI
TURA,
SIDE
ANAEL *Wald*
tis Philos. Adjuncto
issimo,
receptore suo
colendo,
publicè
FOR
HUTTERUS,
ansylvanus,
io Majori.
A. O. R. *h. III. 3587*
LXXIX.
BERGÆ,
ÖDTERI, Acad. Typ.